

1976-03-15 – SS Paulus VI – Nuntius Gratulatorius ‘Alfredo Cardinali Ottaviani’

PAULUS PP. VI

***NUNTIUS GRATULATORIUS
ALFREDO S.R.E. CARDINALI OTTAVIANI,
SEXAGESIMO EXPLETO ANNO
EX QUO SACERDOTIUM INIIT***

Caritas silere nescia Nos impellit, ut sexagesimum expletum annum, ex quo, gratia Dei praeventus, sacerdotium iniisti, tibi gratulemur.

Tam diuturnum tempus, quod tibi datum est in Dei famulatu, in Apostolicae Sedis ministerio, in procuratione salutis animarum transigere, respiciens, sine dubio sancta laetitia cumulaberis et simul omnium bonorum Largitori gratiarum actionis canticum piae mentis obsequio exsolves : «Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo» (*Ps.* 33, 2).

Pro certo habemus te, in recessu, procul a negotiis, degentem, Ecclesiam, quam ut matrem semper amasti, precationibus tuis atque te devovendi studio, scilicet spiritualibus subsidiis, admodum iuvare.

Nos ergo Deum in hoc sacerdotii tui natali enixe rogamus, ut tibi continenter propitius adsit, potioribus usque donis te locupletet atque illa tibi abunde solatia tribuat, quibus releveris. Maternis etiam curis te foveat Deipara Virgo Maria, quae est singulare praesidium et spes certa illorum praesertim, qui in sortem Domini sunt vocati.

Haec vota, quae ex animo prompsimus, confirmet sitque caritatis Nostrae erga te testificatio et signum Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater Noster, libentissime impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XV mensis Martii, anno MCMLXXVI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PAULUS PP. VI